



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

VII. De votorum commutatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

ab ea post mortem absolui ab eo, qui habet iurisdictionem. Post absolutionem autem cadaver donandum Ecclesiæ sepulturæ exhumarum è loco profano; seu à loco sacro, si inibi iacet, non extrahendum. Satisque tunc virgis terram (corpus minimè,) cadere.

CAPVT VII.

De votorum commutatione.

58. **Q**uoniam vota possunt virtute Bullæ commutari? Omnia præter tria, castitatis scilicet, Religionis, & Transmarina. Possuntne commutari vota Romam, aut Compostellam peregrinandi gratia petendi: quæ Papa assolent referuari? Possunt; quia ubi textus non excipit, nec debemus excipere.

59. **Q**uodnam votum Castitatis non valet Confessarius commutare? Castitatis perpetuæ, & absolutæ. Nam si quis vouit castitatem ad tempus, vel circa vnâ rem veneream, & non alia ad eandem materiam pertinentia. v.g. circa tactus impudicos, seu pollutionem, &c. Non censetur absolute castitatem vouisse; unde tale votum potest virtute Bullæ commutari; quia non est Papæ reservatum. Ad eandem classem refero votum non nubendi, vel suscipiendi Ordinem Sacrum; quia tales non vouerunt aliam perfectionem, quam ei statui adherere, in quo decens castitatem seruare.

60. **M**ihi hanc pœnam statuo: si tale crimen perpetrauero, voueo me lesuitarum Ordinem ingressurum: potest ne Confessarius virtute Bullæ hoc votum pœnale Religionis commutare? Probabile reputo cum Henrico posse; quia vota pœnalia non sunt in fauorem, & amorem Religionis emissa, sed quodammodo in criminis detestationem, & mœrorem quasi rem gustui contrariam. Tale autem votum Pontifex sibi non reseruat, sed quæ amoris & gaudij stimulis ducant exortum.

61. **C**omprehendit ne exceptio Bullæ etiam votum ingrediendi Religionem militarem D. Ioannis? Ita planè; quia est vera Religio voto solemnè castitatis astricta matrimonium ratum dirimente.

62. **Q**uidnam intelligitur sub nomine ultra mare? Votum ineundi Ierosolymæ peregrinationem.

63. **P**otest ne Confessarius virtute Bullæ iuramenta facta circa eandem materiam votorum commutare? Potest; quia huiusmodi iuramenta facta Deo, sunt vota iurata.

Q 3

64. Voueo

64. Voueo post Bullam susceptam, potest ne hoc votum virtute Bullæ commutari? Potest proculdubio, sicut absolui, qui post publicatum Iubilæum delinquit.

65. Voueo item me nunquam commutationem meorum votorum petiturum: potest ne electus Confessarius, hoc non obstante, mea vota commutare? Potest planè: sed tunc illa vota commutanda in melius.

66. Num vota extra Sacramentum Confessionis commutari valeant? Minimè; nam Bullæ textus circa hoc manifestè disponit.

67. Sub potestate commutandi vota intelligitur ne dispensandi potestas? Non; quia maior ad dispensandum, quam ad commutandum potestas requiritur.

CAPVT VIII.

De Commissarij Bullæ Cruciatæ potestate.

68. **C**ommissario Bullæ potestas dispensandi in irregularitate addicitur: rogo in quam irregularitate dispenset? In irregularitate procedente ex delicto occulto tum quoad forum interius, tum quoad exterius extra confessionem: Confessarius verò non potest nisi quò ad forum Confessionis. Excipio tamen quatuor irregularitates, in quibus Confessarius dispensare non potest: ortam scilicet ex homicidio voluntario, in qua solus Papa dispensat: ortam ex Simonia reali, & perfectà: ortam ex hæresi, seu apostasia fide quamuis occultissima: illam denique, quam incurrunt malè ad Sacros Ordines promoti, si celebrent, qui quidem à die suscepti Ordinis suspensi sunt.

69. *Quoniam in gradu affinitatis potest Commissarius dispensare?* In primo & secundo affinitatis ortæ ex fornicatione, in foro tantum interno conscientie, non quidem vt publicè fiat cum ritu nuptiali iuxta ordinem à Tridentino præscriptum: sed vt factum cum tali impedimento, & ideo nullum, ratum sit Commissarij dispensatione, & maneat verum. Tunc haud necessum, testes adesse, & Parochum, sed satis nouus vtriusque coniugis consensus occultè inter se declaratus.

70. *Quid si post occultam Commissarij dispensationem detegatur illud impedimentum?* Pro foro quidem externo recurrentum ad Papam. Non quod coram Deo matrimonium